

cumstantis advertere eum nolle contrahere; vel, casu quo id non possent percipere, contrahens, dicendo *volo*, intelligere velle in quantum in se est, ut notat Scotus¹.

DISSERTATIO

De Clerico habituato in vitio turpi, cupiente statim initiari in sacris.

Auctoris
propositum.

63. - Quaestio quam infra exponam nuper Neapoli magnopere inter sapientes fuit agitata. De hac ipse in libro mearum Adnotationum in Busenbaum nimis concise et quasi obiter in quodam loco tractavi. Sed inde, cum sedulius animadverterem valde utile ac necessarium esse ut ejus vera decisio confessarii innotesceret, quo ipsi studeant eam tenere sententiam quam bono Ecclesiae magis expedire iudicaverint: idcirco operae pretium esse duxi diligenter ac funditus rem ad trutinam revocare.

Quaestio nimurum haec est: *Utrum sit neganda absolutio clerico habituato in peccatis lasciviae occultis, qui velit ad sacros ordines ascendere sine praecedenti experimento continentiae?*

Quidam neotericus et doctus auctor libri Romae editi, cui titulus: *Istruzione per li novelli confessori*, de hoc puncto agens⁴, sic scripsit: *Oggi non v'è alcuna legge diretta, né divina, né umana, che viet di ordinarsi, precisamente per esser alcuno abituato nella lascivia, od altr'occulto peccato; se non che per l'omicidio volontario o per altra colpa avesse contratta l'irregolarità... Ma bensì può dubitarsi per conto della legge naturale, in quantoche essendo, o per legge ecclesiastica o per voto implicito, annessa la con-*

¹ In 4, dist. 29, qu. unic., n. 9. — ² In propos. 29 Innoc. XI, dissert. 20, num. 82, 83 et 87. — ³ Sanch., de Matrim., lib. 7, disp. 5, n. 1. — ⁴ Gaspar Hurtad., de Matrim., disp. 12, diff. 3.

conficiendi sacramentum; secus vero, si simulat consensum in contractu, non attenendo ad rationem sacramenti.

b) Cardenas, juxta distinctionem superius expositam, ita docet casu quo simulet contratum dumtaxat, non vero sacramentum.

63. - a) Textus isti latine sic redduntur a clar. P. Michaelae Haringer, in sua edit. Theologiae moralis S. Alphonsi (Edit. 2^a. Ratisbonae

Et ex eadem ratione dicunt Cardenas²; et Sanchez, Hurtadus, Dicastillus et Gobat, apud Croix³, non peccare peccato sacrilegii, qui contrahit matrimonium, sciens se habere impedimentum dirimens^{b)}.

tinenza a' sacri ordini, l'ordinando contro il dettame della retta prudenza vuole assumere un peso che non può portare, ecc. A noi pare che, stando nella legge naturale sola, si debba qui procedere con distinzione. Imperocchè, se l'ordinando crede sinceramente ed in buona coscienza di poter... vivere casto, e disfarsi de' mali abiti, e... di far tutto ciò che a giudizio suo e del discreto confessore, si stima necessario ed opportuno per la sua emendazione; egli si può promovere, e'l confessore non glielo può interdire. — Deinde addit: Ed inoltre aggiungiamo che non essendo questi (come supponiamo) indisposto per lo sacramento della Penitenza, neppur si dee dire, precisamente parlando, che lo sia pel sacramento dell'Ordine: il quale per riceversi degnamente, non richiede se non lo stato di grazia; e per se stesso non è ad alcuno occasione di peccato, anzi dà all'anima una nuova e distinta grazia. — Subaddit tamen: Diciamo che uno che voglia promuoversi a' sacri ordini, e non creda (siccom'è detto) sinceramente di poter osservare in quello stato la castità per lo mal abito della lascivia, non possa promuoversi; ed insistendo di farlo, gli si debba come ad indegno ed indisposto negare l'assoluzione^{a)}. Ita praefatus auctor.

n. 11. - ¹ Dicast., de Matrim., disp. 7, dub. 2, n. 34. - ² Gobat, tr. 9, n. 60, v. *Qui vero*. Cfr. tr. 1, n. 256. — ³ Lib. 6, part. 1, num. 162. — ⁴ Part. 2, cap. 3, n. 64 et seqq.

1879): «Hodie nulla est lex positiva, neque divina, neque humana, quae propter hoc solum ordinari vetat, quod quis in vitio turpi vel alio peccato occulto habituatus sit: nisi forte per homicidium voluntarium vel aliam culpam irregularitatem incurrisset. Cum vero ex lege ecclesiastica vel voto implicito sacris ordinibus continentia annexa sit, hinc dubium oriatur annon talis ordinandus contra legem na-

Alii vero e converso videntur nimis rigide locuti fuisse. — Nam Natalis Alexander¹ hanc regulam statuit: *Nemo est ad sacros ordines promovendus, nisi qui vel innocentier vixerit, vel occultas prioris vitae maculas diuturna poenitentia diluerit*. Idem tenet Jueninus². Idem, Habert³, qui magnam et longam curam requirit, dicens nec unum sufficere annum ad hujusmodi probationem. Idem, Van-Espen^{b)}. — Sentit Contin. Tournely⁴ clericum habituatum^{c)} probandum saltem per 20 aut 18 menses. Id eruit ex D. Gregorio⁵, ubi: *Ne unquam ii qui ordinati sunt pereant, provideri debet quales ordinentur, ut prius aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit*. Adducitque Natalem Alexandrum⁶, dicentem quod confessarii debent clericis in luxuria habituatis prohibere tam ascendere ad altiores gradus quam ministrare in suspectis.

64. - Sed inter harum opinionum varietatem, operam adhibui ut a quamplurimis Neapolitanae urbis theologis res plene examinaretur. Et post longas hinc inde discussiones, in hanc sententiam sive conclusionem, duas partes habentem, convenimus, medium tenentes viam, nempe:

Iº. Quod hodierna et antiqua Ecclesiae lex semper constans obstringit tam epi-

¹ Lib. 2, de Sacram. Ord., cap. 3, art. 5, reg. 19. — ² Comment. de Sacram., dissert. 8, qu. 7, cap. 2, concl. 2. — ³ Tr. de Sacram. Ord., part. 3, cap. 3, resp. 3. — ⁴ De

turalem offendat, si contra dictamen verae prudentiae onus suspicere vult quod ferre non potest. Videtur nobis quod attenta sola lega naturali distinctione opus est. Etenim si ordinandus sincere et in bona conscientia credit se castum vivere et pravos habitus vincere posse, et si paratus est omnia exequi, quae sibi et prudenti confessario opportuna et pro emendatione vitae necessaria videbuntur, promoveri potest, nec confessarius eum impedire potest.. Et insuper addimus quod si ipse (ut supponimus) non indispositus sit ad recipiendum sacramentum Poenitentiae, nec stricte loquendo indispositus est pro sacramento Ordinis, quod ut digne suscipiatur, non requirit nisi statum gratiae: quod immo per se non est alicui occasio peccandi, sed potius animae novam et distinctam gratiam confert.. Dicimus contra, eum qui ad sacros ordines promoveri vult, et non sincere credit (ut dictum est) se in hoc statu propter pravum habitum vitii turpis castum vivere posse, nec

S. ALPHONSI, *Opera moralia*. — Tom. III.

scopos, quam confessarios et promoven- dos, ut cum aliquis clericus recidivus vel consuetudinarius in vitio carnis ad sacrum ordinem, sive ad subdiaconatum, sive ad diaconatum aut presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolviri; non tamen poterit sacrum ordinem suscipere, nisi aliquamdiu operam det ad prauum habitum extirpandum. Et si ipse persistat ordinem statim suscipere, non censemur dispositus ad absolutionem; quia legem Ecclesiae violat in re gravi.

IIº. Quod potest tamen dari casus, quo Deus donet poenitenti tantam extraordinariam compunctionis gratiam, quae reddit eum adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum ordinem assumere; et ideo (si idipsum confessario ex validis conjecturis constet) beneficium absolutionis suscipere, sine eo quod temporis experientia prius comprobetur.

65. - Prima pars probatur 1º. Ex illo Apostoli, I ad Tim. iii: *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum: sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, ... non neophyton, etc.* — Illud irreprehensibilem explicat D. Gregorius^{a)}, dicens: *Vitium in episcopo est non quam optimum esse. Illud autem non neophyton*

⁶ Praec. decal., art. 10, reg. 3, v. *Quoto*. — ⁵ Lib. 4, indict. 12, epist. 26, ad Januar.; ap. Migne, Patroli. lat. tom. 77, col. 695. — ⁶ Lib. 3, de Feccat., cap. 8, reg. 60.

nisi ali-
quandiu o-
peram dede-
rit emenda-
tioni.

Et si per-
sistat ne-
quit absolu-
vi.

Exigitur
casus con-
versionis
extraordi-
nariae.

Probatur
prima pars
ex Scriptu-
ra.

promoveri posse, et si id facere non desistit, ipsi tamquam indigno et indisposito absolucionem denegandam esse».

b) Van-Espen, *Jus eccles.*, tom. 4, de *Instit. et Offic. canonicor.*, part. 2, cap. 2, § 8, negat clericos in luxuriam lapsos, restitu posse sacris functionibus, nisi post condignam poenitentiam, id est respondentem criminum gravitati; idem dicit de sacerdotibus § 9; et iterum § 10, negat clericos sacris functionibus restitu posse, nisi post diuturnam poenitentiam.

c) Contin. Tournely ita loquitur de eo qui post diutinam in vitio transactam vitam, tam languide ac molliter se gerit, ut vix anteactae vitae horrorem sentire videatur.

65. - a) Cornelius a Lapide, *in epist. I ad Tim.*, cap. 3, vers. 2, commentans verbum *irreprehensibilem*, adducit S. Gregorium Nazianzenum dicentem vitium esse in episcopo non quam optimum esse. Quod utique Nazianzenus, in *Orat. 2, Apologetica* (al.

commentat D. Thomas, et inquit: *Hoc quod dicit hic, ad eos pertinet qui non solum aetate neophyti, sed et qui neophyti sunt perfectione.* — Quod vero nomine episcoporum intelligentur omnes sacerdotes, asserunt S. Ambrosius, S. Joannes Chrysostomus et S. Thomas. Vide apud Cornelium a Lapide.

66. — Probatur 2º. Sacris canonibus. A quorum *norma* (dicit Summus Pontifex Benedictus XIV, loquens de hac materia ad episcopos, in litt. encycl. *Ubi primum*, *quae omnino servari debet, ne patiamini vos abduci.*) — Innocentius III, in cap. *A multis, Extra, de aetate et qualit. ord.*, sic ait: *Erubescant impii, et intelligent judicio Spiritus Sancti, eos qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, si caste non vixerint, excludendos ab omni eorumdem gradu dignitate.* Et iterum: *Nemo ad sacram ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatae castitatis existat.* — Item habetur in epistola 1ª Siricii Papae¹, quod subdiaconus ad diaconi gradum, *si se ipse primitus continentia praeeunte dignum probarit, accedat.* — Item S. Gregorius² sic prescrivit: *Nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.*

Idem sancitum fuit a synodo Tridentina³, ubi: *Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus jam probati..., qui sperent Deo auctore se continere posse.* — Et licet verba *et in minoribus ordinibus jam probati*, directe intelligentur de probatione externa, quam episcopus exigere debet de probitate ordinandi, ut ego cum aliis censeo; nullo modo tamen negari potest quod concilium non tam re-

D. Thom., lect. 2, in cap. 3 epist. 1 ad Tim. — S. Ambros., epist. 68, num. 64; Migne, Patrol. lat., tom. 16, col. 1206. — S. Joan. Chrysost., in epist. ad Philipp., cap. 1, homil. 1, n. 1; Migne, Patrol. graeco-lat., tom. 62, col. 183.

S. Thom., lect. 1, in cap. 3 epist. ad Tim. — Cornel. a Lapide, in epist. ad Philipp., cap. 1, vers. 1; in epist. 1 ad Tim., cap. 3, vers. 1; in epist. ad Tit., cap. 1, vers. 5. — Bened. XIV, encycl. *Ubi primum*, de die 3 Decembr.

quirit probitatem externam (quae reapse sine interna non esset probitas, sed vera hypocrisia et deceptio) quam principalius internam. At quoniam Ecclesia non iudicat de occultis, ideo illic requirit explicite sive directe solam externam; sed eam postulat tamquam indicium probitatis internae.

Et hoc patet ex textu D. Pauli supra relato, ubi diserte distinxit Apostolus probitatem tam externam quam internam; et utique utramque requisivit in sacerdotibus, verbis illis: *Oportet.... episcopum irreprehensibilem esse,... sobrium,... pudicum, etc.* Ecce necessitas probitatis internae. Deinde indixit necessitatem probationis externe verbis quae subdidit, nempe: *Oportet autem illum et testimoniū habere bonum ab iis qui foris sunt.* — Ideo D. Thomas, hanc epistolam Apostoli explicans, scribit: *Supra ostendit Apostolus qualis debet esse episcopus secundum se; hic ostendit qualis debet esse in comparatione ad multitudinem.*

Et ideo concilium quoque Tridentinum⁴ ait: *illos tantum promovendos ad sacros ordines quorum probata vita senectus sit.* Quid autem sit haec senectus probatae vitae, habetur in Sapientia rv, 9: *Aetas senectutis vita immaculata.* — Et propter id, concilium⁵ ad finem majoris probationis bonae vitae, prescribit interstitia inter diversos ordinum gradus, dicens: *Ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat.* — Atque hinc in Pontificali Romano episcopus ordinans, loquendo de sacerdotibus initandis, dicit: *Ut coelestis sapientia, probi mores et diurna justitiae observatio ad id electos commendent.* — Hinc Innocentius XII in sua bulla *Speculatorum*, edita anno 1694, loquens de interstitiis ordinandorum, sic

1740, § 1. — ¹ Cap. 9; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 13, col. 1142-1143. — ² Epist. lib. 1, indict. 9, epist. 44, v. *Ante triennium*; Migne, Patrol. lat., tom. 77, col. 506. — ³ Sess. 23, de reform., cap. 13. — D. Thom., lect. 2 in cap. 3 epist. 1 ad Tim. — ⁴ Sess. 23, de reform., cap. 12. — ⁵ Loc. cit., cap. 11. — *Pontific. Rom.*, de Ordinatione presbyteri. — *Innoc. XII*, bulla *Speculatorum*, § 1. Habetur in Bullar. Röm. Mainardi.

orat. I., n. 15, habet, inquiens: « Vitium esse existimet... praefecti... vel antistitis non quam optimum esse ». Sed ibi S. Gregorius non ex-

plicat verbum *irreprehensibilem*. Vide apud Migne, *Patrolog. graeco-lat.*, tom. 35, col. 423-424.

praecipit: *Ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam discipline, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur; nec unquam heri sacrilegi, hodie sacerdotes, heri profani, hodie sacerorum antistites, veteres vitio, virtute rudes et recentes, discipuli simul ac magistri pietatis, crecentur. Sed ii tantum, juxta constitutas a majoribus leges..., ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui... diurna conversatione inter clericos fuerint comprobati.* — Et D. Hieronymus, apud eundem D. Thomam¹, inquit: *Non solum episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum cui praesident, sermone et conversatione praecedant; verum etiam inferiores gradus et omnes qui divino oraculo deserviunt.*

67. — Probatur 3º. Ratione et auctoritate doctorum. — Quia, ut quis ad sacri ordinis dignitatem ascendat, non sufficit simplex et actualis status gratiae; sed requiritur etiam bonitas praecellens et habitualis. Et idcirco poenitens qui e luto habitualium libidinum mox emersit, quamvis conversus, quia tamen pravis habitibus irretitus adhuc infirmus exsistit, is vix capax erit absolutionis, sed non ordinis sacri. Propterea quod, si quis taliter affectus, et a sanie vitiorum nondum purgatus, ad altaris fastigium ascendere audet, nisi prius sufficienti probetur experimento, iste prout temerarius etiam sacramentalis absolutionis manifestatur indignus. Unde S. Bernardus² scripsit: *Nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ordinem fuerit approbata.* — Et hic notandum quod id quod dictum est de vicio luxuriae, idem dicendum de quocumque alio, nimis ebrietatis, avaritiae, blasphemiae, odii, etc.

Quod autem ad sacros ordines suscipiendos minime sufficiat simplex gratia

D. Hieron., in epist. ad Tit., cap. 2, i. f. v. *Nemo te contemnat.* — ¹ Suppl., qu. 36, art. 4, ad 3. — *Glossa*, id est *Seraphinus a Porrecta*, ad loc. cit., in notis ad 3. — S. Thom., Suppl., qu. 36, art. 1, corp. — ² De eccles. Hierarch., cap. 3, § 14. Cfr. ap. Migne, Patrol. graeco-lat., tom. 3, col. 471-472. — ³ Suppl., qu. 35, art. 1, ad 3.

67. — ^{a)} Textus iste non reperitur apud S. Bernardum, *Serm. de Conversione ad Cle-*

ricos, cap. 20; neque aliis est quam textus S. Gregorii Magni, superius n. 66 relatus.

S. Doctor requirat quidem bonitatem excellentem ad executionem ordinum, non autem ad susceptionem, eo quod in ipsa susceptione gratia confertur suscipienti ad sacra ministeria digne exercenda. Nam in eodem loco Angelicus expresse requirit meritum sanctitatis positivae tam ad executionem quam ad susceptionem ordinum. — Ad hoc videndum observare oportet quod S. Doctor non aliud intendit probare in citato Articulo 1º, nisi quod in sacramento Ordinis certe conferatur gratia gratum faciens. Hinc sic sibi opponit in tertia objectione: *Nulla causa praesupponit effectum suum; sed in eo qui accedit ad ordines, praesupponitur gratia, per quam fit idoneus ad executionem Ordinis.* (Hoc autem praesuppositum, mox videbimus quod non quidem negatur, sed approbatur et confirmatur a S. Doctore in suo responso). *Ergo talis gratia non confertur in collatione Ordinis.* Hucusque objectio. Deinde sic respondet: *Ad tertium dicendum quod ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens.* De hoc autem rationem reddit: *Ut, sicut illi qui Ordinem suscipiunt super plebem constituantur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis.* Hinc confirmans praesuppositum objectionis, ut diximus, id est, quod ad ordines suscipiendos requiritur utique gratia gratum faciens, sive meritum praecedens sanctitatis, sic infert: *Et ideo praexigitur (nota) gratia quae sufficiat ad hoc quod digne connumeretur in plebe Christi.* — Demum concludit: *Sed confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiae munus, per quod ad majora reddantur idonei.* Quibus verbis intendit S. Thomas probare quod gratia sacramenti non erit quidem utilis, sed majora auxilia praestabit suscipienti, ut idoneum se reddat ad majora merita acquirenda. Sed jam praesupponit et exprimit praeexi in suscipiente gratiam gratum facientem, quae sufficiat ad dignum eum faciendum ut connumeretur inter altaris ministros. Unde sicut non sufficit qualiscumque gratia ad execu-

tionem ordinum, ita neque ad susceptiōnem. Recte enim ait Habert¹, quod Poenitentia pro infirmis est instituta, ideo infirmis est conferenda; sed Ordo, cum non ad salutem propriam, sed aliorum institutus sit, sanis conferri debet.

Idem confirmat Glossa in praefato tex-
tu, dicens: *Licet enim in illo qui accedit ad sacramentum Ordinis, praesupponatur gratia gratum faciens secundum modum quo possit digne Ordinem suscipere; tamen non supponitur secundum gradum illum quo causatur ab ordine suscepto.* Accedenti enim sufficit esse in gratia, sed jam eidem suscipienti Ordinem augeatur gratia illa. — Adverte illa verba: *Licet praesupponatur gratia secundum modum quo possit digne Ordinem suscipere.* Ergo ad Ordinem suscipiendum non sufficit sola gratia sanctificans (ut quidam hanc Glos-
sam intellexit); sed requiritur talis gradus gratiae et meriti, ut initiandus digne pos-
sit ad illum ascendere. Et quamvis Glos-
sator ibi subdat: *Accedenti enim sufficit esse in gratia;* intelligit profecto non de simplici gratia sanctificante, sed de gratia explicata, secundum modum, etc.

Idem sentit Sotus², ubi agens de sacra-
mento Ordinis, dicit sanctitatem positivam in ordinando esse necessariam de pree-
cepto divino. En eius verba: *Prima (con-
clusio). Quamvis morum integritas non
sit de essentia sacramenti, est tamen pree-
cepto divino maxime necessaria...* At vero quod articulo praesenti de idoneitate eorum qui sacris sunt ordinibus initiandi defini-
tur, non est generalis illa dispositio quae in suscipiente quodcumque sacramentum requiritur, ne sacramentalis gratiae obi-
cem inventiat; est enim illa quaedam actualis preeparatio. Sed definitio pree-
sens ad morum habitus attinet (significat hic Sotus, quod promovendus debet esse habitualiter bonus). *Enimvero, quoniam per sacramentum Ordinis homo non solum gratiam suscipit, sed ad sublimiorem statum concedit, requiritur in eo morum honestas et virtutum claritas.*

Idem asserit Sanchez³: *In promovendo ad ordines requiritur bonitas vitae: quod*

¹ Tract. de Sacramento Ordinis, part. 3, cap. 3, v. f., v. His conditionibus. — Glossa, id est Seraphinus Capponi a Porrecta, in notis ad Supplementum D. Thomae,

qu. 35, art. 1, v. 3^{ma} major. — ² In 4 Sentent., dist. 25, qu. 1, art. 4, concl. 1, et v. At vero. — ³ Consil. mor., lib. 7, cap. 1, dub. 46, n. 1.

*non est intelligendum de generali bonitate, id est ut careat peccato mortali; hoc enim ad omnia sacramenta requiritur. Quia enim per hoc sacramentum (Ordinis) homo ad sublimiorem statum concedit, requiri-
tur in eo morum honestas, scilicet ut sit sobrius, castus, etc.* — Idem dicunt Salmant.¹: *Ad hoc ut aliquis ad ordines promoveatur bonitas vitae requiritur: non illa solum quae ad receptionem omnium sacramentorum licitam postulatur, nimirum quod sit expers lethalis culpae; sed ultra requiritur quod sit honestis moribus imbutus.* — Accedit Pater Holzmann², qui sic ait: *Requiritur 4º, ut (ordinandus) effulgeat speciali vitae morumque probitate: speciali, inquam, non enim sufficit ad suscipiendos ordines probitas vitae et morum veluti communis, seu ea quae ad quaelibet sacramenta recipienda exigitur; sed necessaria est specialis, ex qua spe-
rari possit fore ut ordinandus.... bono exemplo praeluceat... Consistit autem spe-
cialis illa probitas in recta intentione spe-
cialiter serviendi Deo..., in casta et sobria vita, in bona conversatione ordinandi.*

Si igitur constat quod clericus qui ad altaris celstitudinem vult ascendere, non tantum a culpa mortali immunis esse debet, sed amplius praeseferre probitatem habitualem, atque adeo excellentem, ut haec merito esse possit preeparatio correspondens gratiae per sacramentum Ordinis praestandae quae confertur per modum habitus, sive quae confertur ut perpetuo sua peculiaria auxilia tribuat ordinato; certum etiam est quod ille qui usque adhuc in luxuriis est versatus, si forte praestiterit simplicia signa poenitentiae, erit quidem capax absolutionis, sed non erit simul sacro ordine dignus. Aliud enim sane est et valde diversum esse simpli-
citer in statu gratiae; aliud, magnam bo-
nitatem possidere. — Idcirco ex omnibus preedictis concluditur, preeceptum esse divinum et ab Ecclesia omni tempore cu-
stoditum ac promulgatum, ut qui in fla-
gitiis, etsi occulis, sit recidivus aut habi-

tuatus, priusquam sacros ordines assumat, convenienti castitatis experientia sit probandus. Alioquin ei, ob ipsius gravem praesumptionem, et quia in re gravi legem Ecclesiae offendit, confessarius tenebitur absolusionem denegare.

69. — Quoad secundam autem partem, minime negandum censemus, aliquando contingere posse quod clericus, quantumvis in vitio carnis consuetudinarius et recidivus, tali compunctionis gratia a Deo sit donatus, ut dignus existimetur quod gradum sacri ordinis statim assumere possit; et ideo tunc capax bene evadet absolutionis, quamvis preecedenti experimen-
to non sit probatus. — Probatio quidem non solum exterior, sed etiam interior, ut diximus, in hujusmodi poenitentibus ab Ecclesia necessario postulatur; sed non necessario requiri dicimus probationem temporis.

Olim, juxta priscam Ecclesiae discipli-
nam, nemini, qui post acceptum Baptis-
tum lethale peccatum commiserat, ascen-
dere ad ordines unquam permittebatur;
etiamsi condignam egisset poenitentiam,
ut testantur S. Isidorus, S. Hieronymus et
S. Martinus Papa I (apud Natalem Ale-
xandrum). Atque ii qui post ordinem su-
ceptum semel graviter peccarant, ipso facto manebant perpetuo suspensi; prout scripsit S. Gregorius³. — Deinde tamen aliquot post saecula tantum illi qui infamiam passi erant ob aliquod grave crimen,
aut publicam egerant poenitentiam, ab ordinibus excludebantur; juxta id quod legitur in concilio Carthaginensi IV⁴, ubi:
*Ex poenitentibus, quamvis sit bonus, cle-
ricus non ordinetur.*

Demum a saeculo XI, ut ferunt Habert et Juenin, remissa fuit hujus disciplinae severitas; ut patet ex can. *Fraternitatis*, dist. 34, ubi Pelagius Papa, requisitus ab episcopo Florentino, an conferri posset diaconatus clero qui aliquando, cum esset conjugatus, in honeste versatus fuerat cum sua ancilla? Respondit Pelagius: *Et quamvis multa sint quae in hujus-*

¹ Tr. 8, de Ordine, cap. 5, n. 40. — ² De Ordine, n. 96. — ³ S. Isidor., de ecclesiast. Offic., lib. 2, cap. 5, n. 14. — ⁴ S. Hieron., Commentar. in epist. ad Tit., cap. 1, v. 6. — ⁵ S. Martinus, epist. 2, ad Amandum. — *Natal. Alex.*, lib. 2, de Sacram. Ordinis, cap. 3, art. 5, reg. 19. Cfr. Migne, Patrol. lat., tom. 83, col. 785; tom. 26, col. 564; tom. 87, col. 136.

⁶ Epist. lib. 4, indict. 12, epist. 26; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 77, col. 695. — ⁷ Can. 68; celebratum fuit anno 398; ap. Labbe, tom. 2, col. 1442. — *Habert*, tr. de Sa-
cram. Ordinis, part. 3, cap. 3, v. Ab undecimo. — *Jue-
nin*, Comment. de Sacramentis, dissert. 8, qu. 7, cap. 2, concl. 2.

Secunda
pars.

Qualis,
procedente
tempore,
Ecclesiae
disciplina.

modi casibus observari canonice jubeat sublimitatis auctoritas; tamen, quia defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, distinctionis illius non patitur in omnibus manere censuram: et aetas istius de quo agitur futurae incontinentiae suspicionem auferre dignoscit, ut ad diaconatum possit provehi, temporum, ut dictum est, condescendentes defectui, concessisse Nos neveris. — Item in cap. *Ex tenore, de tempor. ordinat.* sic habetur: *Verum, quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti, mandamus quatenus poenitentiam ei condignam imponas, et suadeas ut parte poenitentiae peracta ordine suscepto utatur; quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* Attamen notandum (ut diximus n. 52), hunc canonem correctum fuisse in parte a Tridentino: ubi habetur quod episcopi bene possunt ob peccata occulta, etiam extra-judicialiter cognita, prohibere initiandis quominus ordinentur.

70. — Cum igitur neque Ecclesiae praeceptum, neque praesentis disciplinae consuetudo cogat ad probandos sola temporis diurnitate eos qui ad sacros ordines sunt promovendi; ad prudentem confessarium spectabit cognoscere an poenitens vel temporis experimento vel alia via sit convenienter probatus atque dispositus ad tantam dignitatem assumendam. — Bene autem evenire potest quod Deus, cuius judicia et misericordiae admirabiles sunt, auxilia tam efficacia gratiae alicui largiatur, ut compunctionis vehementia temporis probationem compenset. Docet enim D. Thomas quod Deus aliquando tollit peccati reliquias successive per suam gratiam cooperantem; aliquando vero statim per magnam commotionem qua homo

¹ Sess. 14, de reform., cap. 1. — ² 3 P., qu. 86, art. 5. — ³ De vera et falsa Poenit., cap. 9, n. 24: opus dubium

perfectam sanitatem spiritualem consequitur. Hoc docet² ubi, querens: *Utrum remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati?* objicit sibi (in prima objectione) auctoritatem D. Augustini³, qui ait: *Nunquam (Dominus) aliquem sanavit quem omnino non liberavit; totum enim hominem sanavit in sabbato, quia et ejus corpus ab infirmitate, et animam ab omni contagione liberavit.* Respondet inde Angelicus: *Quandoque tanta commotione convertit (Deus) cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualis, non solum remissa culpa, sed sublati omnibus peccati reliquiis;* ut patet de Magdalena (Luc. vii). *Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem; et postea, per gratiam cooperantem, successive tollit peccati reliquias.*

Si ergo divinae gratiae efficacia valet auferre omnes peccati reliquias, id est animae debilitatem ex vulneribus peccati causatam; idcirco, quamvis habitus pravi in potentissimis sensitivis non tollantur, mens tamen ex vigore gratiae talem acquirere potest vigorem ut illis facile resistat. — Hoc docuit idem D. Thomas⁴, dicens: *Reliquiae autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati; sed quedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens: qua sublata, et eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum.* — Nulla igitur in tali habituato erit necessitas experimenti (quod non requiritur, nisi ut debilitas animae ex malis habitibus contracta sanetur, et pravis dispositionibus facile resistat), cum hoc idem ex vigore gratiae is aequa et forte virilis adeptus fuisse comperitur. Recte enim dicit S. Cyprianus^{a)}: *Non pro mora temporum, sed compendio gratiae maturatur caritas.*

S. Augustini; cfr. Migne, append. ad Opp. D. Aug., tom. 40, col. 1111 et 1112. — ^a Suppl., qu. 30, art. 1, ad 2.

70. — ^{a)} S. Cyprianus, *epist. 1, ad Donatum*, n. 2, scribit: « Cum.... de Domino Deo vox est, vocis pura sinceritas, non eloquentiae viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. Denique accipe non diserta sed fortia... Ac-

cipe quod sentitur antequam discitur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur, sed compendio gratiae maturantis hauritur ». Migne, *Patrol. lat.*, tom. 4, col. 198.

71. — Non quidem negandum hujusmodi conversiones extraordinarias esse, nec saepe evenire, neque etiam in exercitiis spiritualibus quae ad sacros ordines praemitti solent; quoniam plerumque ad hujusmodi exercitia promovendi coacti accedunt. — Ideoque alia extraordinaria signa debet confessarius in suo poenitente agnoscere, ut ei ad sacram ordinem ascendere permittat.

Quod si quandoque (licet raro) tales conversiones extraordinariae accidunt; nulla patet ratio cur in eo casu magis dispositum ad ordines suscipiendos poenitentem evincat longi temporis probatio, quam manifesta cordis vera et vehemens contritio, ac voluntas adeo firma, quae innixa spe divinorum auxiliariorum, praecipue actualium, quae in sacramento Ordinis a Deo impertinet ut caste et honeste in Ecclesiae ministeriis vita ducatur, non solum se emendare proponat, sed etiam omnia media opportuna adhibere quae valeant tum concupiscentiam refraenare, tum dignum eum reddere ut sacra audeat mysteria; immo poenitens ex illo singulari dono contritionis jam incepit instanter et enixe castitatem a Deo postulare, et simul concupiscentiae ardorem notabiliter imminutum in se cognoscat, ita ut jam paratum se sentiat ad castitatem servandam. — Quod si sufficienter probatus existimat, qui per aliquod tempus se continens habitum extirpare curaverit; multo magis is probatus censeri debet qui per specialem Dei gratiam vehementi contritione manifeste compunctus est. Diurnitas temporis ideo sufficiens creditur probatio, quia signum est firmae voluntatis poenitentis; attamen non raro evenire solet quod aliquis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi hujus honestate contineat (juxta verba S. Gregorii): sed horum magis est timendum relapsus quam eorum qui talem contritionis gratiam ostenderent, ut prudens confessarius directe eos voluntatem immutasse cognoscat;

In catechismo autem Romano⁵, primo ibi dicitur quod initiandus in sacris morum integritatem magnopere praesefere debeat. Deinde additur quod ea vicia corporis, quae in veteri lege homines ab altaris ministerio excludebant, hodie in nova lege Evangelii intelligenda sint de viciis animae, quae homines repellunt ab ordinum sacrorum susceptione. Et hic sedulo advertendum quod inter corporales defectus in lege antiqua computatum fuit vitium inveteratae scabiei; ut legitur in Levitico, xxi, 20: *Si jugem scabiem, etc.* Quod communiter interpretantur pro vitio libidinis, ut explicant D. Hieronymus⁶ et D. Gregorius. Demum catechismus concludit quod promovendi qui hujusmodi viciis fuerint contaminati, tenentur, juxta praesentem Ecclesiae disciplinam, sacramento Poenitentiae conscientiae.

⁵ Epist. lib. 1, epist. 56; ap. Migne, op. cit., tom. 158, col. 1127. — ⁶ Part. 2, cap. 7, de Sacr. Ordinis, num. 31.

— D. Gregor., Reg. pastoral., part. 1, cap. 11.

tias diligenter purgare, sine eo quod ibi ulla temporis probatio praescribatur. — En verba catechismi: *Primum itaque in eo qui sacerdos creandus est, vitae et morum integritas commendetur magnopere oportet.... Et simul illud docendum, ea corporis vitia, quae in veteri lege ex Domini praescriptione aliquem ab altaris ministerio excludebant, in evangelica lege ad animi vitia praecepit transferenda esse. Quare, sanctam illam consuetudinem in Ecclesia servari animadvertisimus, ut, qui sacris initiandi sunt, prius Poenitentiae sacramento conscientiam purgare diligenter studeant.* — Ex quo patet, catechismum supponere quod aliquis, etsi vitiis fuerit obnoxius, bene possit absolutionis beneficio frui et inde sacros ordines recipere, etiam sine praecedenti temporis experientia: intelligendum, dummodo aliunde rite dispositus judicetur ad tantam dignitatem ascendere.

Hinc ipse Juenin in praesenti quaestione, licet hic rigidarum sententiarum acerrimus sectator alibi¹ omnino indexit necessitatem probationis temporis, ut clero vitio turpi illaqueato possit permitti ad ordines sacros ascendere; attamen in suis *Institutionibus Theol.*², loquens de habituato in vitio turpi, veluti seipsum corrigens et benignius agens, sic inquit: *Verum, cum paucae sint regulae quae aliquas exceptiones non patientur, negotium hoc sapientis ac eruditii directoris prudentiae commitendum est.*

73. — Sed dices 1º. Ut quis liceat ordines sacros suscipere possit, requiritur non tantum externa, sed etiam interna vocatio divina. — At quomodo existimari poterit vocatus a Deo ille qui diu vitio lasciviae est foedatus, nisi prius per longam poenitentiam et virtutum exercitia signa verae vocationis ostendat? Et quomodo confessarius absolutionem ei impetrari poterit quem non agnoscit a Deo vocatum?

Respondet: Nulli dubium quod si quis accedere auderet ad sacram ordinationem, sciens a Deo se vocatum non esse, excusari requiret a culpa lethali. Tum ob

Dificultibus contra secundam partem satisfacti: 1º Defectus vocationis.

gravem praesumptionem se intrudendi in sanctuarium contra Dei voluntatem; cum dicat Apostolus: *Nec quisquam sumi sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron (Hebr. v); tum ob periculum certum damnationis cui tunc ipse se exponit, ut asserit Abelly, in suo aureo opusculo, cui titulus: *Sacerdos Christianus*³ ubi ait: *Qui sciens et volens, nulla divinae vocationis habita ratione, sese in sacerdotium intruderet, haud dubie seipsum in apertissimum salutis discrimen injiceret, peccando scilicet in Spiritum Sanctum; quod quidem peccatum vix aut rarissime dimitti ex Evangelio discimus.**

— Attamen vero, ut promovendus a culpa excusat, sufficit ipsi quod bonum praeserferat finem, et episcopo se offerat ut probetur: dummodo non certe sciat, nunquam fuisse a Deo vocatum. Jueninus⁴, postquam probavit necessitatem divinae vocationis, inquit: *Licet quoque clericis offerre se episcopo, quo probentur an debeant ad maiores ordines promoveri.* Etenim, ut addit, *qui examini offert sese, an ad maiores ordines promovendus sit, non ob id se eorum dignum judicat; ac proinde reus non est praesumptionis.* — Tanto magis igitur confessarius non poterit hujusmodi clero, volenti Ordinem suscipere, absolutionem denegare post acceptam ejus confessionem, nisi certus sit quod illi deficiat divina vocatio. Sed quomodo in nostro casu hanc certitudinem confessarius habere poterit? Vitiosa vita peracta a suo poenitente non praebet quidem ipsi certitudinem quod is nunquam fuerit a Deo vocatus. Cur non accidere potuit quod Dominus eum aliquando vere vocarit, et ipse auxiliis resistens jam paratis male responderit? Judas procul dubio fuit a Christo Domino vocatus ad apostolatum; at ille quam male ad eum se dispositus! Cur etiam censeri non poterit quod illa extraordinaria conversio quam supponimus, sit vocatio divina qua poenitens eodem tempore sit a Deo donata? Forte Deus non vocat ad sacerdotium etiam peccatores poenitentes?

Unde concluditur quod in casu nostro, supposito cum circumstantiis ut supra

¹ Comment. de Sacram., dissert. 8, qu. 7, cap. 2, concl. 2. — ² Part. 8, dissert. 7, qu. 5, i. f. — ³ Part. 1,

cap. 4. — ⁴ Comment. de Sacram., dissert. 8, qu. 7, cap. 1, concl. 3.

descriptis, confessarius ex hoc capite deficientiae vocationis nequit denegare absolutionem suo poenitenti, qui ad illam per confessionem adeptus est jus strictum et rigorosum.

^{2º Ignorantia Ecclesiae.}

Dices 2º. Si Ecclesia agnosceret quod clericus usque tunc sic luxuriose vixisset, nullo modo eum ad ordines admitteret. — Sed respondeatur quod si Ecclesia agnosceret simul suam resipiscentiam, et vehementer compunctionem a Deo donatam, modo quo eam asseruimus, illum non repelleret.

^{3º Imprudentia promovendi.}

74. — Dices 3º. Hujusmodi clericus in vitio turpi diu versatus, volens subdiaconatum assumere, exponitur periculo proximo relabendi in eadem peccata, et illa augendi reatu sacrilegii; cum sibi imponat votum castitatis perpetuae indissolubile, quod ipse ob pravum habitum contractum difficulter observare valebit. Quapropter hic velut temere agens est indignus absolutione; ut supponit Habert¹.

Sed haec objectio, licet magnam vim habere videatur, revera tamen nullius est momenti. — In tantum diximus quod talis consuetudinarius, quamvis sit capax absolutionis, si non vult ordinari, non poterit tamen absolviri si sacram ordinem assumere audeat, nisi per extraordinariam compunctionem sit probatus; in quantum constat, ut observatum est, quod ad sacros ordines suscipiendos non sufficit simplex status gratiae, sed necessario insuper requiritur bonitas excellens, quae per divinum auxilium superabundans potest a poenitente in instanti acquireti.

Caeterum, si quicumque alias habituatus in lascivia, sed jam sat dispositus ad absolutionem, vellet statim sine expe-

¹ Tr. de Sacr. Ordinis, part. 3, cap. 3, resp. 3, v. *Dixi in responsione*, et v. *Excusantur*. — ² Tr. 3 cap. 2, n. 63. — ³ Lib. 3, part. 1, num. 481. — *Palaus*, tr. 15, disp. 1, punct. 8, § 5, num. 14. — ⁴ De Just. et Jure, lib. 7, qu. 1, art. 3, v. *Contra hanc autem*. — *Prado*, cap. 31, qu. 2,

ridentia emittere votum castitatis, cur non poterit confessarius eum statim absolvere? Numquid votum adhuc in eo casu non erit de meliori bono? Si non esset de meliori bono, esset quidem nullum; sed communissime docent doctores, ut asserit Sporer², quod hujusmodi votum emissum ab habituato in lascivia est validum. Idem ait Lacroix³ cum Palao, Moya⁴ ac aliis; et contrariam sententiam ipse dicit non audere dicere probabilem. Idque diserte confirmat D. Thomas⁵, ubi quaerens an quis post diurnam vitam in vitiis ductam possit vota religionis profiteri; respondet non esse expediens magna onera hominibus tenuis virtutis imponere: *Si tamen (addit) mox conversi ad fidem sponte propria voluerint manum mittere ad altiora, quis eos audebit arcere?*

75. — Praeterea, si quis sic habituatus nollet nubere, dici deberet quod non posset absolviri, quamvis dispositus; quia iste vellet remanere in periculo proximo recidendi. Sed quis unquam asseruit matrimonium esse remedium necessarium ad se continendum? Scripsit quidem Apostolus: *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* (I. ad Cor. vii). Verum hoc communiter ab interpetibus intelligitur, nisi aliquis nolit alia media adhibere.

Hinc quaestio agitur inter DD.: *an valeat votum quod quis emitteret nubendi, ut se liberet ab habitu incontinentiae?* — Alii, ut Lessius⁶, Palaus⁷, Sotus⁸; cum Fagundez⁹, Prado, etc., apud Salmant.⁵ dicunt omnino invalidum esse hujusmodi votum; quia nunquam est de meliori bono, sicut est coelibatus. — Alii vero, ut Sanchez⁶, Bellarminus⁷; Bonacina,

Quid de voto nubendi, ut remedium incontinentiae.

trahendo matrimonio, sed solum obligare ad abstinentiam ab illicitis voluptatibus.

b) S. Thomas, *opusc. 17, cap. 7*, haec dicit de recenter conversis ad fidem.

75. — a) Lessius, *lib. 2, cap. 40, n. 44*; Palaus, *tr. 15, disp. 1, punct. 8, § 5, n. 14*; Fagundez, *Decal., lib. 2, cap. 16, n. 4*, tenent

Navarrus et plures communius cum Salmant.¹, asserunt tunc solum validum esse votum, quando vovens nolit aut non possit alii mediis uti^{b)}. Idem ait Sporer², dicens quod tali voto obligatur tantum is qui aliud remedium adhibere nolit. Idem asserit ut certum Laymann³, his verbis: *Dicendum secundo cum Lessio... Coninck... Tale votum... obligatorium est secundum virtualem hypothesim, si in tali statu peccandi perseverem, et non media efficacia adhibeam... ad emendationem. Ut proinde talis homo aliud vovere censendus non sit, nisi hoc saltem remedium quod est nuptiarum peccatis suis adhibiturum, si aliud melius, quod est continentiae, non adhibuerit...; ideoque, si firmum ejus rei propositum et conatum praestet, voto liberatur.*

Instabis: Sed laicus nolens tunc nubere, remanet tamen liber ut possit nubere postea in futurum si velit; non sic subdiaconus post susceptum ordinem. — Respondetur: Sed si ille laicus statueret fermo animo nunquam velle matrimonio ligari, sed aliis mediis uti; numquid hoc poterit ei absolutio denegari?

76. — Dices 4^a. Docet D. Gregorius⁴: *Nec debet aliquis non purgatus sacra mysteria adire. Unde Juenin⁵ ait non posse promoveri ad sacros ordines qui nondum peccata purgarit per condignae poenitentiae labores.*

Sed respondetur cum S. Thoma, qui⁶, quaerens: *Utrum liceat episcopatum injunctum omnino recusare?* respondet ad objectionem 2^{am} (in qua refert praefata verba D. Gregorii), quod si impedimentum nequeat tolli a subdito, tunc non tenetur obediens; quia nullus tenetur obediens ad aliquod illicitum; secus autem, si impedimentum removeri potest per

^{4^a} Purga-
tio insuffi-
ciens

¹ Navar., Man., cap. 12, n. 43, v. *Dixi.* — ² Tr. 17, cap. 1, n. 41 et 42. — ³ Tr. 3, cap. 2, n. 61 et 62. — ⁴ Lib. 4, tr. 4, cap. 2, n. 12. — *Less.*, lib. 2, cap. 40, n. 44. — *Continck*, disp. 22,

secundam sententiam, quam S. Alphonsus communiorem vocat.

^{b)} Auctores pro hac secunda sententia citati non ponunt conditionem, quod vovens nolit aut nequeat alii remedii uti; Salmant. vero simpliciter eos afferunt quasi conditionem illam exprimant.

ipsummet, puta... si habeat peccandi propositum, quod potest deserere. — Ergo supponit Angelicus quod licet alicui sacra mysteria adire, suscipiendo episcopatum, vel etiam sacros ordines (ut ibidem subditur), etiamsi nondum sit a suis peccatis purgatus. Dummodo, ut supponendum, sit interius probatus ad hujusmodi gradus assumendos; alias dicendum ex supra allatis quod neque ordinari posset, neque teneretur obediens. Aliud enim est aliquem non esse purgatum; aliud, non esse probatum.

77. — Qua de re, omnibus tamen mox praedictis non obstantibus, omnino tenendum quod, ut clericus in vitiis habituatus possit absolviri, etsi ipse velit statim sine temporis probatione accedere ad sacros ordines, debet tali compunctione extraordinaria esse a Deo manifeste donatus, ut satis probatus ostendatur ad tantae dignitatis sublimitatem.

Praeterea advertendum quod confessarius toto conatu curare debet, persuasum reddere hujusmodi initiandum, quamvis extraordinarie (ut supra) compunctum, ut differat ordines suspicere, quoadusque probatione alicujus notabilis morae magis purgatum se praebat a sceleribus patratis.

Immo addo, consultius et congruentius esse ut, etiamsi ipse sit contritus, et ex compunctione habita sufficienter dispositus non solum ad absolutionem, sed etiam ad Ordinem assumendum, tamen ei absolutio differatur, ipso quoque non consentiente, si velit statim ordinari, ut temporis experimento firmius probetur. — Dummodo vero, excipio, ipse ex hac dilatione ordinacionis non sit subiturus notam sive proximum periculum infamiae. Nam in hoc casu censerem cum Lacroix^{a)},

n. 61. — ^a Reg. pastoral., part. 1, cap. 7; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 77, col. 20. — ^b Comment. de Sacr., dissert. 8, qu. 7, cap. 2, concl. 2, v. *Quaeres.* — ^c 2^o 2^o, qu. 185, art. 2.

77. — ^{a)} Lacroix, lib. 6, part. 2, n. 1764, in universum dicit quandoque confessarium posse ex rationabili causa absolutionem differre, etsi poenitens dispositus videatur; et subdit cavendum tamen esse, « ne tali negetur absolutio... quando sine nota non posset omittere communionem ».

non posse confessarium poenitenti disposito beneficium absolutionis differre; quia tunc ille ex confessione peracta habet jus non tantum ad absolutionem, sed ad eam statim obtainendam.

Caeterum fateor, magnam adhibendam

esse cautelam in hujusmodi clericis absolvendis qui vix e vitiorum coeno emersi, ad altaris ministerium ascendere inhiant. Nulli enim dubium quod horum frequenter malus exitus deploratur, non sine maximo Ecclesiae detimento et populorum ruina.